



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Approbatio Illustrissimi Et Reverendissimi Episcopi Bajocensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

A P P R O B A T I O

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

ARCHIEPISCOPI EBRODUNENSIS, EPISCOPI METENSIS.

PROVIDENTIÆ divinæ admirandum est in eo consilium, quod cum permiserit Religionem Christianam, omnibus sæculis, ab inimicis foris & intus impugnari; quorum illi fidei principia penitus negando convellerent, sicut Ethnici & Judæi; hi vero quadam ex parte varie labefactarent, ut Hæretici, præclaros semper veritatis fuscitaverit propugnatores, qui utroque luculenter confuderunt. In quibus absque fūco possumus affirmare, postquam hoc Opus, cui titulus est, **DEMONSTRATIO EVANGELICA**, à clarissimo Viro **PETRO DANIELE HUETIO** compositum accurate legimus, vix ullum reperiri doctrinæ reconditoris, majorisque perspicuitatis; meritoque Virum insignem inter præcipuos numerari tanti argumenti tractatores. Hinc enim Veteris, Novique Testamenti auctoritatem, veritatemque comprobat, cum ex contextu ipso, tum ex consensu celeberrimorum, qui primis temporibus vixerunt, Auctorum, & quamvis profani, sacris Literis suffragati sunt: illinc autem ostendit Jesum Christum, verum esse Messiam, simul Deum & hominem, in quo omnium Prophetiarum complementum absolvatur, solumque qui viam salutis homines docuerit. Itaque censemus hunc Librum, non solum propter doctrinam Orthodoxam, sed etiam propter utilitatem maxime amplectendum; quippe ibi Fideles habent, quo eorum fides nutriatur; & Infideles, quo convincantur. Datum Parisiis, ubi negotiorum Ecclesiæ nostræ causa degimus. Idib. Octobr. A. R. S. M. DC. LXXVIII.

GEORGIUS D'AUBUSSON, DE LA FEUILLADE,
Archiepiscopus Ebrodunensis, Episcopus Metensis.

A P P R O B A T I O

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

EPISCOPI BAJOCENSIS.

MULTUM gratulari debemus Cadomeni Academiæ, totique adeo nostræ Dicecesi, quod hisce temporibus alterum tulerit Origenem, Virum dico clarissimum **PETRUM DANIELEM HUETIUM**, qui pro sua singulari eruditione, non solum redivos nobis exhibuit prisca illius Auctoris libros, sed eum nunc quoque in se exprimit ac representat: dum adversus Religionis Christianæ perduelles, perinde ut ille olim adversus impium Celsum, imo feliciter etiam præliatur. Sic enim noster Origenes hoc in Opere, cui titulus est, **DEMONSTRATIO EVANGELICA**, è Veteris Novique Testamenti consensu & Parallelismo, mira arte concinnato, tela depromit & contorquet, ut ubique profligatos Judæorum & Gentilium errores videas, & integra ac illibata semper maneat Christiana veritas. Jure igitur commendari debet hoc Opus, quod mille clypei pietatis, & Libris sacris traditæ doctrinæ, reddunt armaturam fortium. Datum Bajocis, XXV. Sept. A. R. S. M. DC. LXXVIII.

FRANCISCUS Episcopus Bajocensis.

A P P R O B A T I O

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

EPISCOPI CONDOMENSIS.

DEMONSTRATIONEM EVANGELICAM, à Viro clarissimo; datque in omni genere doctrinæ celeberrimo **PETRO DANIELE HUETIO** editam, summa cum animi voluptate perlegi; opus elaboratissimum, ac recondite eruditionis; quippe quo Prophetarum referentur oracula, ipsique Scripturarum recludantur fontes; Judæi porro, ac ceteri Religionis hostes haud minus copiose quam